

1570
*Hieronymi
 a Calice &
 Joannis
 Dolionii
 oades.
 Gualterius
 Bergomas,
 & Jacobus
 Nores occu-
 bunt.*

tione intermissa , diversis ex locis propugnacula aggressi , nullum quietis , nullum remissionis locum defensoribus relinquere . Hieronymus a Calice , Joannes Dolionius , militum præfeti , glande icti in Podacatara munitione cecidere ; in Constantia Gualterius Bergomas , præfectus , est interfactus : in Davila Jacobus Nores , Leptitanus Comes , sagitta in capite ictus , post tres dies occubuit : ejus obitum ingenti mœrore ac lachrimis omnes sunt prosequuti , illum potissimum eo tempore ereptum fuisse , qui virtute , ac fortitudine periclitanti patriæ opitularetur : in custodiis habendis solerter , plebis acerrimum adhortatorem , quacumque se hostes inferrent , & impetum facerent , fortissime dimicantem . Francisco Maria ejus fratri propugnaculi cura tributa est .

*Mustapha
 ad suos ad-
 bortatio.*

Minutis hisce præliis & nostrorum numerus in dies immi-
 nuebatur , & hosti vires , atque audacia succreverat , nihilque
 jam obstabat , quin totis viribus in quatuor propugnacula in-
 vaderent . Mustaphas igitur cuncta ad urbis oppugnationem
 necessaria , atque opportuna parat : ut animi impetum in mi-
 litibus augeat , qui primi , secundi , aut tertii mœnia consen-
 dissent , iis edicto publico præmia Sangiacatus decernit : qui
 vero primus captam urbem ingressus fuisset , huic Bassæ honos
 proponitur . Tum universis viribus exercitum mœnia subire
 imperat , ad pugnam adhortatur , animorum impetum acuit ,
 præsentem victoriam , Leucosiensium opes , divitias oculis sub-
 jicit : cum iis pugnandum , qui numero pauci , vix ægris , at-
 que tabidis membris arma sustinerent , qui toties victi , ac fra-
 ti justo prælio nunquam decertare ausi sint . *An hi (inquit)*
præferoces vestros conatus excipere poterunt ? an vestrum in ur-
bem impetum remorari , quin aggerum munimentis perruptis ,
inundantes hostili sanguine fossas cernere , bas viles animas pro-
sternere , atque per stragis acervos vobis aditum non facere
nequeatis ? Ille ante alios egregius animi ex me debita virtu-
ti præmia referet , qui primus hostium munimenta subire , vi-
etria Ottomani Regum signa extollere , ac figere in mu-
nimentis audebit . Militum accensis animis , quinto idus se-
ptembris , duabus ante solis exortum horis , eodem tempore
totis viribus quatuor propugnaculorum oppugnationem aggre-
ditur ; Caramano Bassæ Podacatarum , Musaferro Constantium
obti-